



F. F.



DIU multumque Ecclesiam Christianam afflixit controversia de Paschate rite celebrando. Equidem cum in sacro novi foederis codice nec ab optimo maximo Salvatore nostro, nec ab Apostolis, quicquam de hoc Festo legatur statutum, fieri vix potuit, quin aliqua discrepantia circa tempus & ceremonias nasceretur, dum diversæ Ecclesiæ, in locis dissitissimis, a diversis Apostolis aut Episcopis, sibi mutuo non subiectis, fundatæ, ejus celebrationem, consiliis inter se non communicatis, pro suo qualibet arbitrio, citius serius, pio zelo decernerent. Tanto æquius itaque erat ut, humanæ sortis memores, aliorum libertatem, ceu in pluribus aliis rebus, ita in hoc quoque negotio, salutem fidemque non attinenti, placido ferrent animo, quos infinitus Christi amor & misericordia fratres esse voluit; accedente præsertim serio mandato divino, huc imprimis quadrante, *Galat. IV. 9. 10. Coloss. II. 16.* Et sane quam diu aberat fastus & dominandi libido, ejusmodi varietas amori fraterno non videbatur obstare; cujus rei luculentum documentum præbuerunt Polycarpus Johannis Evangelistæ discipulus, & Anicetus Episcopus Romanus, qui inter se

O O O

coram